



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Capitvla.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

Pars II. hic nihil exhibet.

TITVL CI CAPITV LORVM PARTIS III.

- I. *De homicidio.*
- II. *De eo qui alium oppugnarit in aede sacra, aut oppido regio.*
- III. *De pugna & homicidii mulctis.*
- IV. *De sanguine effusō.*
- V. *Gratias agit, quod eum in profligandis furibus adiunuerint.*

P A R S P R I M A.

P R O O E M I V M.

DMVNDVS rex ipso solenni paschatis festo frequenter Londini tam ecclesiasticorum quam laicorum Coetum celebrauit, cui interfuerunt Oda, & Vvulstanus archipræful, plurimique alii episcopi, ut animorum suorum, & eorum omnium qui eis curæ sunt, consuleretur saluti.

C A P I T V L A.

I.

Imprimis qui sacris sunt initiati, atque ex quibus populus Dei virtutis exemplum petere debebit ad imitandum, caste (ut eorum feret ordinis ratio) siue viri, siue mulieres fuerint, vitam traducunto : sin minus id fecerint, prout illorum se habent normæ, plectuntor, omni scilicet sua possessione terrena multantur viui, & (nisi mores in melius emendauerint) mortui sacra prohibentor sepultura.

II.

Christianus quisque decimas seminum primitias, nummumque eleemosynarium illum religiose pendito : qui non soluerit, anathema esto.

III.

Si quis hominis Christiani sanguinem effuderit, ad regium conspectum (et si ei seruierit) non admittitor, ni prius id sceleris, iuxta ac fuerit ei ab episcopo imperatum, compensarit.

IV.

Siquis monialem stuprarit, aut instar homicidæ compensato, aut sacra sepultura prohibet. Idem iuris esto, si quis adulterio commisso coniugium violarat.

V.

Episcopus omnis suis ipsius sumptibus domum Dei in-

staurato , regemque de reliquis sacris ædibus (id quod valde est necessarium) composite ornandis commo- neto.

VI.

Qui peierarint , aut barbara factitarint sacrificia , diui- nis omnibus (ni ocius resipuerint , animumque in melius emendarint) perpetuum arcentor .

P A R S T E R T I A .

P R O O E M I V M .

Ego Edmundus rex omnibus qui in ditione ac potesta- te mea sunt , senibus ac iuuibus , clare significo , me a scientissimis regni mei in celebri tam ecclesiasticorum quam laicorum frequentia studiose requisiuisse quo tan- dem paœto Christiana proueheretur fides . Atque nobis omnibus commodissimum visum est , vt amorem ac mu- tuam inter omnes benevolentiam per omnem ditionem nostram foueamus . Etenim nos omnes harum tædet quo- tidianarum pugnarum , & propterea ad hunc modum sta- tuimus :

C A P I T V L A .

I.

Si quis alium posthac interficerit , solus cum imperfecti cognatis inimicitias capitales suscipito , ni integrum capi- tis eius æstimationem (cuiuscumque is fuerit conditionis) amicorum ope fretus intra duodecim menses persoluerit . Sin eum cognati eius pro derelicto habuerint , neque ve- ro quidquam pendere voluerint , ipse inimicitias subito solus , ac illi pro inimicis non habentor . Ei tamen inter- rim cognati eius viatum ne suppeditanto , neve cum eo pacem habento : id quod si quis eorum fecerit , fortunis suis omnibus regi mulctator , & qui prius cognatum suum pro derelicto habuit , is iam cognatis imperfecti pro inimi- co habetor . Atqui si alium quemcumque præter interfe- etorem ipsum cognatorum quisquam vltus persecutus- que fuerit , is fortunis suis omnibus mulctatus , regi , & om- nibus amore eum prosequentibus , pro inimico putan- dus est .